

Quarto loco mentem illam opificem ab Anaxagora, ut alibi,  
 ait per machinam in scenam inductam, tamquam fatuam obiur-  
 gat:<sup>31</sup> *Itaque absurda, impossibilia quaerens mens.* Cui menti tamen  
 veluti huius iurgii poenitentia ductus 1. De anima multa praecla-  
 5 rissima adscribit:<sup>32</sup> *Praeterquam principium mentem ponit maxime*  
*omnium, solam enim ait ipsam entium simplicem esse et immixtam et*  
*puram.* Quod dogma ipse etiam est amplexus libro 3. De anima  
 capite 4:<sup>33</sup> *Necesse est ergo, quia omnia intelligit, immixtam esse, ut*  
 10 *ait Anaxagoras, ut imperet.* Et postea:<sup>34</sup> *Si mens simplex est et im-*  
*passibilis et nulli quicquam habet commune, ut ait Anaxagoras.* Hanc  
 igitur talem et tam praestantem mentem veluti fatuam ab eo, qui  
 eam laudat atque amplexatur, irrigam, quis ferat aequa mente?

Nec minus excandescat philosophicus animus ob eam calu-  
 mniam quae est 3. Physico capite 5.<sup>35</sup> *Anaxagoras vero absurde dicit*  
 15 *de infiniti manentia: stabilire enim ipsum seipsum ait infinitum, hoc*  
*vero quia in seipso, aliud enim nihil ambit, ut ubi quid forte fuerit [305]*  
*natum, ibi esse, hoc autem non est verum.*

Eadem iniuria est haec, cum iniuriis Xenophanis, Parmeni-  
 dis, Zenonis, Melissi. Hoc enim infinitum mens opifex illa est  
 20 Anaxagorae, de qua scribit Simplicius:<sup>36</sup> *Mens vero est infinitum et*  
*per se potens et miscetur nulli rei, sed sola ipsa in se ipsa est.* Si mens  
 hoc infinitum est, cur Anaxagoras ἀτόπως, *absurde dicere indu-*  
 citur? Et cur a philosopho dicitur: τοῦτο δ' οὐκ ἀληθές – *hoc non*

<sup>31</sup> ὥστε ἀτοπος τὰ ἀδύνατα ζητῶν ό νοῦς. [ARIST. Ph. 188a.9]

<sup>32</sup> πλὴν ἀρχήν γε τὸν νοῦν τίθεται μάλιστα πάντων. μόνον γοῦν φησὶν αὐτὸν τῶν ὄντων ἀπλοῦν εἶναι καὶ ἀμιγῆ καὶ καθαρόν. [ARIST. de An. 405a.15 – 17]

<sup>33</sup> ἀνάγκη ἄρα, ἐπεὶ πάντα νοεῖ, ἀμιγῆ εἶναι, ὥσπερ φησὶν Αναξαγόρας, ἵνα κρατῇ. [ARIST. de An. 429a.18 – 19]

<sup>34</sup> εἰ ό νοῦς ἀπλοῦν ἔστι καὶ ἀπαθής καὶ μηδενὶ μηδὲν ἔχει κοινόν, ὥσπερ φησὶν Αναξαγόρας. [ARIST. de An. 429b.23 -24]

<sup>35</sup> Αναξαγόρας δ' ἀτόπως λέγει περὶ τῆς τοῦ ἀπείρου μονῆς. στηρίζειν γάρ αὐτὸν αὐτό φησι τὸ ἀπειρον. τοῦτο δὲ, ὅτι ἐν αὐτῷ, ἄλλο γάρ οὐδέν περιέχειν, ως ὅπου ἀν τι ἦ, πεφυκός ἐνταῦθα εἶναι. τοῦτο δ' οὐκ ἀληθές. [ARIST. Ph. 205b.1 – 5]

<sup>36</sup> ό νοῦς δ' ἔστιν ἀπειρον καὶ αὐτοκρατὲς καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι, ἄλλὰ μόνος αὐτὸς ἐφ' ἐαυτοῦ [ἐαυτῷ] ἔστιν. [Usp. SIMP. in Ph. 9.156.13 – 15]